

mina juncturasque verborum et praetermissae in Regum libris tanguntur historiae, et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones. Esdras et Nehemias adjutor videlicet et consolator a Domino, in unum volumen coarctantur: instaurant templum, muros extruunt civitatis; omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, et descriptio sacerdotum, Levitarum, Israëlitis, proselytorum ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice praeferunt, aliud retinent in medulla. Cernis me scripturarum amore raptum, excessisse modum epistolae, et tamen non implesse, quod volui. Audivimus tantum, quid nosse, quid cupere debeamus, ut et nos quoque possimus dicere: Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore. Caeterum Socraticum illud impletur in nobis: hoc tantum scio, quod nescio.

6. Tangam et Novum breviter Testamentum. Matthaeus, Marcus, Lucas et Joannes, quadriga Domini, et verum Cherubim, quod interpretatur scientiae multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillae emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos et in sublime tendentes, terga pennata et ubique volitantia. Tenent se mutuo, sibique perplexi sunt, et quasi rota volvuntur, et pergunt quocumque eos flatus Sancti Spiritus perduxerit. Paulus Apostolus ad septem Ecclesias scribit; octava enim ad Hebraeos a plerisque extra numerum ponitur. Timotheum instruxit ac Titum, Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur; super quo tacere melius puto, quam pauca scribere. Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, et nascentis Ecclesiae infantiam texere; sed, si noverimus, scriptorem eorum Lucam esse medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus, pariter omnia verba illius, animae languentis esse medicinam. Jacobus, Petrus, Joannes, et Judas Apostoli, septem epistolas ediderunt tam mysticas, quam succinctas, et breves pariter et longas, breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus